

*Septima Congregatio privata.*

Feria sexta, die secunda Junii, hora decima cum dimidia ante meridiem adsunt Patres, loco solito.

Leguntur et approbantur relationes quartæ congregatiōnis generalis et sessionis secundæ.

Decretum de *Fide* examinatur et jubetur deferri ad Congregationem de *Decretis*.

Decretum de *administratione bonorum ecclesiarum* etiam examinatur, et statuitur illud in proxima sessione proclamandum esse, cum dicto decreto de *Fide* a dicta Congregatione de *decretis* nuper relato.

*Quinta Congregatio generalis.*

Eadem die hora tertia post meridiem, adsunt Patres cum theologis et officiariis Concilii.

Leguntur acta præcedentis congregatiōnis generalis.

Leguntur quoque decreta de *Fide* et de *Administratione bonorum Ecclesiarum* a Patribus approbata et admissa, et, eorum jussu, in proxima et ultima sessione promulganda.

Hora quarta cum tribus quadrantibus abeunt omnes.

*Octava Congregatio privata.*

Sabbato ante dominicam Pentecostes, die tertia junii, hora nona cum dimidia ante meridiem, convenient Patres.

Examinantur decreta de *Juramento* et de *Parochis* et *aliis animarum curam gerentibus*, quæ in proxima con-